

Ri sunt undecim: Sex partis concupiscibilis, nempe amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, & tristitia; quinque irascibilis, nimirum spes, desperatio, timor, audacia, & ira. Qui regit, subicit, & vincit suas passiones, ita ut rationi obediant, est homo; qui ab eis vincitur, & regitur, est bellua. Amor proprius est Princeps omnium passionum, ac primum vivens, & ultimum moriens in homine.

52. Omnis homo plus minusve eadem habet passiones; sunt enim quaedam affectiones, vel appetitus animae sensitivae connaturales. Differentia inter sapientem, & stultum, inter justum, & peccatorem stat in earum cohibitione, vel dissolutione. Justus moderatur, & ordinat eas ad metam rationis; peccator vero abiens post eas, fit sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Optime dixit Sancta Teresia, quod terra non laborata producit tribulos, & spinas, & ita est intellectus, sive cor hominis; nam si negligit laborem regiminis, & mortificationis passionum, erit cor ejus, sicut vinea pigri plena urticis, & spinis peccatorum. Ut autem accurate fugias adeo execrabile malum, perlege monitum salutare.

#### MONITUM.

53. Explicatio vitiorum deservire nobis debet, ut ea detestemur, horreamus, ac profigemus; sunt enim hostes nostri infensissimi, sicut Jebusæi populo Dei pergenti in terram promissionis. Exeramus ergo vires, strenue dimicemus, debellemus monstra vitiorum, ut pateat nobis via ad Jerusalem caelestem: nam regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vincenti dabitur manna absconditum, nomen novum, & corona vitae.

54. Arma militiae nostrae sunt caelestia, quibus praecincti gloriosam reportabimus vicloriam. Superbia vincitur humilitate, avaritia liberalitate, luxuria castitate, ira patientia, gula temperantia, invidia caritate, & accedia cum diligentia.

#### CAPUT III.

##### De peccatis in communi.

Soboles vitiorum sunt peccata: unde postquam de illis actu est, de istis, quorum notitia valde necessaria est, Confessarii, sermo nobis erit in hoc capite, praevia doctrina D. Thom. 1. 2. q. 71. & alibi. sup. primus motus est liberos

#### PUNCTUM I.

Notio, & effectus peccati.

55. Inq. 1. Quid sit peccatum? R. est dictum, vel factum, vel concupitum, contra legem Dei aeternam. Dicitur dictum, factum, vel concupitum, ut indicet omnia peccata cordis, oris, & operis. Licet enim malitia, primario sit in actibus voluntatis; tamen intrinsece reperitur etiam in aliis potentis, ut in irascibili, motis a voluntate; ac denominative, & extrinsece in membris corporis, & sensibus externis. Quamvis autem praedictis particulis solum videatur exprimi peccatum commissionis; verum re ipsa etiam comprehenditur peccatum omissionis: quia affirmatio, & negatio reduciuntur ad idem genus; sicut in divinis genitum, & ingenitum ad relationem, & ideo pro eodem est accipiendum dictum, & non dictum, factum, & non factum, inquit D. Th. ubi sup. a. 6. ad 1. q. 92. art. 1. q. 1. 56. Dicitur contra legem Dei aeternam, quia omne peccatum est contra aeternam Dei legem, quae tamquam regula suprema ab actionibus humanis inspicit debet. Haec omnis actus humanus, carens debita commensuratione ad illam, evadit malus, ac peccaminosus; unde praefata tam peccati diffinitionem a D. Augustino traditam, ut rectam defendit D. Thomas.

57. Objic. 1. Peccata contra praeccepta humana non sunt contra legem aeternam, sed humanam. Similiter peccata contra conscientiam erroneam nullam legem re ipsa violant: ergo non omne peccatum est contra legem Dei aeternam. R. quod peccata contra praeccepta humana tendunt, non quidem immediate, sed mediate, con-

contra aeternam legem Dei, per quam Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Pariter peccata contra rationis dictamen, quod est participatio legis aeternae, juxta illud Psalm. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Unde de omni peccato verificatur esse contra legem Dei aeternam, sive veram, sive existimatam, directe, aut immediate, aut indirecte, & mediate.

58. Objic. 2. Dantur peccata non solum mala, quia prohibita, sed etiam prohibita, quia mala: ergo haec ante omnem legem, etiam aeternam, sunt peccata. R. conc. antec. dist. conseq. Ante omnem legem positivam, conc. conseq. ante omnem legem naturalem, neg. conseq. Nam cum dicitur, quod non omne peccatum ideo est malum, quia prohibitum, intelligitur comparative ad jus positivum, non ad jus naturale; quia relative ad istud, omne peccatum est malum formaliter, quia prohibitum. Si autem consideretur pro priori ad jus naturale, est malum, & peccatum fundamentaliter. Unde illud Apostoli ad Rom. 2. Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, intelligitur, sine lege positiva, non sine lege naturali, quia omnis rationis compos illuminatur ab eo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joan. 1.

59. Inq. 2. Quotuplex sit effectus peccati? R. ex peccato actuali personali duplex praecipue effectus oritur, nempe macula, & reatus ad poenam. Macula peccati lethalis est privatio gratiae relicta ex peccato gravi. Macula peccati venialis est privatio fervoris caritatis. Reatus ad poenam est condignitas ad poenam subeundam. Ipsa poena non est effectus peccati directe, sed dispositive: quia poena est bona, utpote justa. Unde non est malum puniri, sed fieri poena dignum: neque poena facit infamem, sed causa, ut patet in Christo Domino, qui acerbissimas poenas, non pro sua, sed pro nostra causa gloriose pertulit. Alii assignant triplicem reatum ex peccato relicto: nempe reatum culpa, reatum poenae eter-  
nae, & reatum poenae temporalis.

60. Peccatum grave relinquit reatum ad poenam aeternam tam damni, quam sensus. De poena damni constat ex illo

Matth. 25. 41. Discidite a me maledicti: & de poena sensus ibi: in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis suis. Et 5. 46. Ibunt hi in supplicium aeternum. Peccatum veniale ex se solum producit reatum ad poenam temporalem; si autem simul cum gravi jungatur in altera vita, tunc per accidens punitur poena aeterna sibi proportionata: quia universaliter verum est, quod in inferno nulla est redemptio, nec adest ibi medium ad ejus remissionem. Imo voluntas damnati, utpote obstinata in malo, incapax, ac indigna est eam obtinendi.

#### PUNCTUM II.

##### De divisione peccati.

61. Inq. Quotuplex sit peccatum? R. cum innumerabiles sint peccandi modi, peccatum plures habet divisiones, quarum praecipuae sunt decem. Primo dividitur in originale, & personale. Originale est, quod a primo parente derivatur, & per originem transfunditur. Personale est, quod a propria cujusque voluntate committitur. Secundo dividitur peccatum personale in actuale, & habituale. Illud est actualis violatio divinae legis, habituale vero est, macula relicta in anima ex peccato praeterito, non expiato per gratiam sanctificantem. Datur etiam peccatum veniale actuale, & habituale. Illud est actualis transgressio legis divinae: istud autem diminutio fervoris caritatis, orta ex peccato levi actuali non dimisso: quae licet sit aliquid macula, non tamen proprie talis.

62. Tertio dividitur in peccatum commissionis, & omissionis. Primum opponitur praeccepto negativo, agendo id, quod per illud prohibetur. Secundum opponitur praeccepto affirmativo, omitiendo actum, qui ab ipso jubetur.

63. Quarto dividitur in mortale, & veniale. Mortale est & dicitur, quod occidit animam, privando eam gratia, quae est vita illius in ordine supernaturali. Veniale est, quod non privat gratia Dei, nec ab eo animam avertit, sed reddit illam Deo minus gratam, tepefaciens caritatis fervorem. Dicitur veniale, quia

leviter offendit, & dignum venia potius, quam mortale reputatur: vel quia non tollit gratiam, quæ est principium veniæ. Alia differentia inter peccatum mortale, & veniale infra fusius exponuntur.

64. *Quinto* dividitur in peccata *carnalia*, & *spiritualia*. Illa dicuntur, quæ perficiuntur in carne, ut luxuria, & gula. Hæc sunt, quæ consumantur in mente, ut superbia, & invidia. Peccata spiritualia ex se sunt graviora quoad culpam, quia plus habent de aversione a Deo, quam de conversione ad creaturam. Carnalia plus habent de adhesionem, & conversionem ad illam: Unde per ista homo cum brutis magis convenit, & fit quodammodo brutalis, ut inquit D. Th. 1. 2. q. 73. a. 5. ad 3.

65. *Sexto* dividitur in peccata contra Deum, contra proximum, & contra se ipsum. Prima sunt specialiter contra Deum, ut hæresis, & blasphemia: Secunda specialiter contra proximum, ut furtum, & homicidium; tertia specialiter contra se ipsum, ut ebrietas, aut luxuria secum commissa. Dicitur *specialiter*, quia omne peccatum est contra Deum, & ipsum peccantem, ut ex se patet.

66. *Septimo* dividitur in peccata *cordis*, *oris*, & *operis*. Peccata *cordis* sunt, quæ consumantur in corde, aut cogitatione, ut delectatio morosa, odium, & similia. Peccata *oris*, quæ in ore consumantur, ut detractio, & blasphemia. Peccata *operis* sunt, quæ opere perficiuntur, ut furtum, aut homicidium.

67. *Octavo* dividitur in peccata ex *infirmitate*, seu *passione*, ex *ignorantia*, & ex *malitia*. Peccata ex infirmitate dicuntur peccata in Patrem: ex ignorantia in Filium, & ex malitia in Spiritum sanctum. Primi generis sunt, quæ ex gravi tentatione, aut instigatione perpetrantur. Secundi generis, quæ ex ignorantia vincibili, aut culpabili procedunt. Peccata autem ex malitia dicuntur, quæ ex mera electione voluntatis scienter, & ex industria committuntur. Etiam peccata ex prava consuetudine, aut habitu vitioso, vel ex ignorantia affectata, qua quis ignorantiam procurat, procedentia, dicuntur peccata ex malitia, ut docet D. Th. 1. 2. q. 78. a. 2. & 3.

68. *Nono* dividitur in peccata *propria*,

& *aliena*. *Propria* dicuntur, quæ ab ipso peccante committuntur. *Aliena*, quæ licet ab alio committantur, nobis tamen imputantur ratione consilii, suasionis, mandati, scandali, vel superioritatis, qua debemus aliorum delicta compescere, ut contingit non raro in Principibus, Judicibus, Prælatiis, Parochiis, Parentibus, Magistris, & aliis, quibus aliorum cura incumbit.

69. *Decimo* dividitur in speciale peccatum contra Spiritum Sanctum: quod dicitur tale, quia tendit præcipue contra bonitatem Spiritui Sancto attributam. Sunt autem hujusmodi peccata sex: scilicet *desperatio*, *presumptio*, *impugnatio veritatis cognite*, *fraternæ gratiæ invidia*, *impenitentia*, & *obstinatio*. Quæ quidem species distinguuntur juxta contemptum, seu remotionem eorum, quæ retrahunt hominem a consensu in peccatum. Unde *desperatio* removet spem divinæ misericordiæ. *Presumptio* timorem Dei. *Impugnatio* tollit veritatem fidei inducentem ad bonum. *Invidia* aversatur auxilio gratiæ. *Impenitentia* respuit propositum poenitendi, & omne, per quod poterat quis respici. *Obstinatio* denique despicit, quidquid potest avertere a peccato.

70. Dicitur *irremissibile* peccatum in Spiritum Sanctum, non quia nequeat remitti, serio poenitenti, sed quia ægre, ac difficulter remittitur; cum tales peccatores raro agant sinceram poenitentiam. Etiam dicitur *irremissibile*, quia pro tali peccato sæpe datur supplicium, & in hoc, & in futuro sæculo. Ita D. Thom. 2. 2. q. 14. a. 2. & 3.

71. Tandem non defuere, qui aliam divisionem peccati actualis tradiderunt, nempe in pure *philosophicum*, & *theologicum*. Peccatum *philosophicum* est *actus humanus rationi naturali oppositus*. Theologicum vero est *gravis divina legis transgressio*. Hinc inferebant, quod peccatum philosophicum, quantumvis grave, perpetratum ab eo, qui actu de Deo non cogitat, aut recordatur, nec advertit ad legem, & offensam Dei, licet advertat ad oppositionem rectæ rationi, non esse offensam Dei, nec peccatum avertens a Deo, nec poena æterna dignum. Ex quo plurima consequi absurda nemo ambige-

re jure valet. Nam licet intellectus possit in peccato percipere distincte utramque oppositionem rectæ rationi, ac legi divinæ; nunquam tamen possunt separari: quoniam idem actus humanus oppositus rectæ rationi simul est inseparabiliter oppositus divinæ legi, & consequenter peccatum philosophicum, & simul theologicum poena æterna dignum, supposita materiæ gravitate.

72. Unde merito anno 1690. Alexander VIII. confixit sequentem propositionem. *Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; theologicum vero, & morale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensam Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna poena dignum.*

### PUNCTUM III.

#### De peccato originali.

73. Inq. 1. Quid sit peccatum originale? R. est *privatio voluntaria justitiæ originalis*. Dicitur *voluntaria*, non *formaliter*, & *physice*, aut per modum exercitii; sed *terminative*, & *moraliter* per modum *effectus* in ordine ad voluntatem Adami, quatenus ex Dei pacto posterorum voluntates continebat. Peccatum enim originale non est actuale, sed velut habituale, causatum ex Adami peccato, quod propterea vocatur originale *originans*, quia fuit origo nostri peccati, quod appellatur originale *originatum*, hoc est, a peccato Adami nobis transfusum. Primus omnium, qui aperte negavit peccatum originale, fuit Pelagius; deinde plures stulti, licet secundum carnem sapientes; sed hunc errorem damnat fides catholica, dicens peccatum originale Adæ posteroribus contrahere: quod satis declarat ipsa corruptio nostræ naturæ, quæ non a Deo, sed a peccato eam misere hæreditavit.

74. Additur *justitiæ originalis*. Pro cuius luce nota, quod justitia originalis tria conferebat. *Primum*, subjectionem mentis, seu rationis ad Deum. *Secundum*, subjectionem virium inferiorum ad ratio-

nem. *Tertium*, subjectionem corporis ad animam: quorum primum per gratiam habitualement præstitum, causa erat secundæ, & tertiæ. Illa enim gratia habitualis licet non differat specificè a gratia sanctificante, quæ nunc justis conferitur; ornata tamen erat speciali modo rectificandi omnes vires, ac potentias hominis. Unde peccatum originale formaliter consistit in privatione gratiæ animi sanctificantis; hæc enim erat potissimum effectus, & primarius justitiæ originalis; sicut nunc gratia sanctificans est primarius effectus baptismi, qui vere delet peccatum originale, ut fides docet contra Calvinum, & alios hæreticos putantes illud per baptismum tegi tantum, aut radi, non deleri, aut remitti. Ita Concil. Trid. sess. 5.

75. Inq. 2. Quod fuit primum peccatum Adæ, unde cætera prodierunt? R. fuit superbia, qua proprium bonum præter mensuram a Deo præfinitam appetit, puta quamdam Dei similitudinem, præcipue circa scientiam boni, & mali. Prob. ex *Eccles. 10. Quoniam initium omnis peccati superbia*. Hanc sententiam communiter propugnant omnes Theologi contra Scotum, cum aliis putantem fuisse quamdam *philautiam*, seu indulgentiam, aut complacentiam erga uxorem suam. Pro quo observa, quod sicut Eva plura perpetravit crimina in esu pomi, ita & Adam. Peccata Evæ fuere error, quo credidit serpenti suggerenti pomi esum 2. inobedientia, qua mandatum Dei violavit. 3. gula, qua pomum comedit; 4. scandalum, suadens marito comestionem, 5. vana excusatio, qua in serpentem culpam rejecit. Peccata Adami fuerunt nimia condescendentia cum uxore, quam debuit corrigere, ac ejus suasionem serio compescere, comestio pomi, violatio divini præcepti. Igitur hæc crimina orta fuisse tamquam ex radice ex superbia asserimus, quia Adam non fuit seductus, uti fuit seducta Eva; neque hæc, aut aliqua concupiscentia illum dejicere potuit, qui justitia originali gaudens, ab omni carnis rebellionem immunis erat: ergo primum ejus peccatum fuit superbia, ex qua inobedientia, & cætera crimina prodierunt. Ita D. Thom. 2. 2. q. 163. art. 1.

76. Inq. 3. Quomodo peccatum originale in posteris transfundatur? R. traduci per seminalem propagationem in omnes Adæ filios, excepta Beatissima semper virgine Maria, quam ab omni labe, vel umbra peccati, singulari privilegio, condigno utique Dei matri, fuisse omnino præservatam, piissime credimus. Nam sicut ante peccatum erat ex Dei pacto, virtus in semine Adam ad transfundendam cum natura justiciam originalem in posteris; ita potius post peccatum est infectio in eodem semine ad traducendum in eos peccatum originale. Igitur Adami peccatum fuit causa efficiens moralis privationis justitiæ originalis transfundendæ in filios; semen autem instrumentum illius, ipsum denique peccatum transfusum est quidam habitus corruptus inficiens naturam humanam.

77. Inq. 4. Ubi recipiatur immediate peccatum originale? R. in anima, sicut hæc immediatum est subjectum gratiæ, quæ illud expellit, ac delet. Ex anima autem illo maculata extenditur infectio ad potentias. Quantum ad inclinationem ad malum prius inficitur voluntas, ex qua aliæ potentie habent, quod sint susceptivæ culpæ. Ex his, quæ magis inficiuntur, est vis generativa, vis concupiscibilis, & sensus; quia istæ potentie proximius deserviunt ad producendam naturam media generatione: prima per modum exequentis, secunda per modum appetentis, & tactus per modum sentientis, & quasi nuntiantis delectationem.

78. Inq. 5. An si quis miraculose absque seminis commixione ex aliqua materia, vel etiam ex humana carne formaretur, contraheret peccatum originale? R. negat. quia ille non descenderet ab Adam per seminalem propagationem: ita D. Thom. 7. 81. a. 4. Idem dicas de eo, qui ex solo semine mulieris formaretur ob eandem rationem. Idem teneas in hypotesi possibili juxta plures, juxta alios impossibili, quod mulier ex aliquo bruto conciperet: talis enim proles non esset Adæ filius per virilem propagationem: qua etiam ratione, si, Eva peccante, Adamus non peccaret, filii eorum peccatum originale non contraherent: quia principium activum generationis vitiatum nullo modo esset, nec pactum cum

Eva fuit, sed cum Adamo. Contraheret autem originale, qui, ex semine viri ad vulvam foemine extraordinario modo transportato, formaretur, quia ex virili semine descenderet. Peccatum veniale nequit conjungi cum solo originali, necesse locus pro ejus punitione juxta D. Th. 1. 2. q. 89. a. 6.

79. Inq. 6. In quo consistat potentia peccandi? R. consistere in deficientia voluntatis creatæ, connotando personam creatam: nam eo ipso, quod hæc sit creatura ex nihilo, est defectibilis. Unde potentia peccandi non est proprie causa efficiens, sed deficiens. Ideo non provenit a Deo, sed a creatura. Sicut claudicatio non provenit a potentia loco motiva, sed a defectu tibie.

80. Inq. 1. An Adam fuerit salvatus? R. affirm. quia per nongentos annos simul cum Eva fecit poenitentiam. Est traditio adeo certa inter SS. Patres, ut Enkratitas Taciani discipulos negantes damnant erroris. Utrique ergo remissum fuit peccatum personale, & diuturna poenitentia excellenti sanctitate floruerunt. Si fuerunt primi peccatores, fuerunt etiam primi poenitentes; ideo debemus eis speciale devotionem, & reverentiam, tanquam sanctis, & primis parentibus, quos, si secuti sumus errantes, sequamur poenitentes, & mereamur, ut de nobis dicatur, quod de Adamo feliciter prædicatur: Sap. 10. *et eduxit illum a delicto suo.* Vide Alapide in hunc textum.

#### P U N C T U M IV.

##### De effectibus peccati originalis.

81. Inq. Qui sint effectus peccati originalis? R. tot esse primæ culpæ Adam effectus funestos, quod vix queant enarrari, licet quotidie illos deploremus. Aliquos autem exponere congruum censemus, ne candidati jejuni penitus eorum notitia abeant. Primus igitur effectus originalis peccati est privatio justitiæ originalis, prout innuitur supra. Ex isto effectu tragico remansit homo sauciatus quoad omnes potentias animæ, ac corporis; prius autem quoad intellectum, & voluntatem. Intellectus quatuor contraxit vulnera: 1. est ignorantia rerum, etiam

necessariam ad vitæ conservationem. 2. fatuitas, & mentis hebetudo. 3. difficultas discendi, ac scientiæ comparandi, ex quo tanta opinionum varietas originem ducit. 4. animi levitas, & continua mentis evagatio, qua fit, ut necessariis, & gravioribus neglectis, vana, & inutilia plerumque etiam inviti mente geramus. Adeo ut, dum seria meditari volumus, vanis cogitationibus distrahamur, maxime dum attentè orationi vacare cogitamus.

82. Voluntas alios quatuor contraxit morbos. Primus est inordinatus amor erga se ipsam, quo fit, ut omnes querant, quæ sua sunt: hinc autem curæ, formidines, invidiæ, lites, rixæ, mærores, dissidia, insidiæ, bella, & flagitia. 2. difficultas in declinando a malo, & bonum sequendo. 3. continua inconstantia, ac etiam in se ipsam pugna, qua in duas factiones divisa vult, & non vult, amat, ac odit. 4. languor liberi arbitrii ad bonum sectandum. Nota tamen, quod licet liberum arbitrium ex primo peccato languens, ac vulneratum manserit; non vero extinctum, aut mortuum, ut contra Lutherum, & Calvinum, declaravit Trident. sess. 6. can. 5. Nam culpa Adami expoliatus est homo omni dono supernaturali, exceptis fide, & spe, quæ etiam in peccatore remanent, ut facilius resurgat. At nihil de naturalibus amisit, quare communis Patrum sententia tenet, naturalia in Dæmonebus integra permansisse. Solum igitur verum est, quod per originale homo gratuitis spoliatus, & in naturalibus vulneratus remansit. Est quippe quidam languor propudiosus a primo Parente hæreditatus.

83. Pars etiam sensitiva, quæ in concupiscibilem, & irascibilem dividitur, maxima contraxit vulnera. Præcipuum est illa continua perduellio, & pugna contra superiorem animæ partem, quam concupiscentia singulis momentis usque ad mortem concitat. Hæc est illa lex repugnans legi mentis Apostoli. Hic est hostis ille domesticus, & truculentus, quem nec fugere, nec fugare valemus, & dicitur *fomes*, relictus in baptizatis ad agnem, ut ait Trid. sess. 6.

84. Quantum ad corpus similiter difficile numerari queunt languores, ac mi-

seriæ, quæ ex prima culpa prodierunt. Nam indigentia cibi, ac potus, omnium animalium, & elementorum conspiratio, nuditas, dolores, morbi, cæteraque calamitates, ac denique ultima omnium terribillimum terribilior, nempe mors, stipendia sunt peccati. Unde constat, Adamo non peccante, ipsum cum reliquis innocentibus, elapso congruo tempore, vivos, mortis stipendio non accepto, in cœlestem patriam feliciter migraturos: quia per peccatum intravit mors in mundum: ergo, secluso peccato, minime introisset, saltem quoad illos, qui justitiam originalem semper custodissent.

85. Poena damni etiam est effectus peccati originalis; ita ut parvuli decedentes cum illo careantur ab æterna Dei visione: quia nihil coinquinatum, aut non ablutum baptismo fluminis, flammis, aut sanguinis potest introire regnum Dei. Verum non patiuntur poenam sensus, quia hæc respondet peccato personali, & conversioni ad objectum vitium: in parvulis autem non datur talis conversio, sed sola aversio a Deo ex primo parente traducta. Nec patiuntur aliquam tristitiam ob carentiam visionis beatificæ: quia illam omnino ignorant, nec agnoscunt esse sibi consequibilem. Ex hucusque dictis observa, quam misere aberrarunt Lutherus, & Calvinus cum suis asseclis contententes peccatum originale esse formaliter ipsam concupiscentiam, ideoque per baptismum non deleri, sed tegi tantum. Pariter Illicirus Lutheranus fingens originale peccatum esse quamdam substantiam a Dæmone productam, quorum errores justissime proscripti sunt ab Ecclesia.

86. Alius error his affinis merito confixus est: nempe *infidelem in omni opere peccare*, quia est infectus peccato originali, & ex mala radice nequeunt produci nisi fructus mali. Verum si hoc probaret intentum, de quolibet in peccato lethali existente idem esset dicendum: sed utrumque est omnino falsum, & error manifestus. Pro cuius intelligentia nota, quinquæ esse operum genera: nempe *viva, quasi viva, mortifera, mortificata, & mortua.* *Viva* sunt, quæ sunt in gratia, & quamdiu hæc perseverat, remanent *viva.* *Quasi viva* dicitur pos-

nitentia sacramentalis a plerisque, dum impletur in lethali, quia fuit viva in radice; nimirum in sacramento. *Mortifera* sunt ipsa peccata gravia, quia mortem animæ afferunt, seu inferunt. *Mortificata* sunt opera bona facta in gratia; sed adveniente peccato, privantur vita, & sunt mortificata: dum autem peccator recuperat gratiam, redeunt ad vitam. *Mortua* denique sunt opera, alias bona, in peccato facta. Igitur licet opera ex se bona facta ab infideli, vel a peccatore sint mortua, non tamen mortifera. Esto non sint meritoria vitæ æternæ, non tamen sunt demeritoria. Quis enim sibi sugere valet, quod honorare parentes, assurgere maioribus, superioribus obedire, servare iustitiam, dare cibum esurienti, porum sitienti, & his similia facta ab infideli, vel ab alio peccatore, honestate naturali non sint bona moraliter? Vel quod nequeant fieri generali Dei concursu absque auxilio speciali? Maneat ergo, quod licet peccatum originale, vel quodlibet aliud habituale, inficiat subiectum, non tamen ejus opera in linea moralis.

## PUNCTUM V.

## De peccato commissionis, &amp; omissionis.

87. Inq. 1. In quo consistat essentia peccati commissionis? Supponimus in quolibet peccato commissionis duplicem dari conceptum; tempe tendentiam ad objectum vetitum, quod est quid positivum, & carentiam rectitudinis sibi debita, quæ est quid privativum. Dubium igitur est, an essentia peccati commissionis in aliquo positivo, vel in sola privatione sita sit? R. peccatum commissionis consistere in malitia positiva, quæ ex consequenti infert privationem rectitudinis: quoniam primum, quod invenitur in peccato commissionis, est tendentia positiva ad objectum dissonum, ideo enim actus peccaminosus caret debita rectitudine, quia tendit in objectum dissonum: ergo peccatum commissionis consistit in aliquo positivo ex consequenti inferente rectitudinis privationem. Nam peccatum non est privatio pura sicut tenebræ, sed aliquid positivum, ut docet

Angelus his verbis: *Peccatum non est pura privatio, sed est actus debito ordine privatus*. 1. 2. q. 72. a. 1. ad 2.

88. Inq. 2. In quo consistat essentia peccati omissionis? R. consistere in privatione voluntaria, seu in omissione actus præcepti. Taliter quod actus solum potest concurrere ad ejus essentiam constituendam, ut causa, aut occasio omittendi, quod utique requiritur, ut ommissio sit voluntaria; alias non esset peccaminosa, ut in eo, qui invincibiliter oblitus omitteret adimplere præceptum.

89. Inq. 3. An peccata commissionis, & omissionis sint ejusdem speciei moralis, quando ex eodem motivo procedunt? R. affirm. quia peccata differunt specie ex motivis specie diversis: ergo quando peccata commissionis, & omissionis idem habent motivum, non differunt specie. Unde si non pavisti, occidisti. Verum, cæteris paribus, gravius est peccatum commissionis, quam omissionis, quia illud directe contrariatur virtuti, secus istud; plus enim peccat positive occidens, quam non pavens, plus qui odit, quam qui non diligit.

90. Inq. 4. Quando vitentur actus, qui ad omissionem culpabilem concurrunt? Pro resolutione nota primo, quod ad omissionem peccaminosam semper requiritur, ut dictum est, aliquis actus, qui vel sit causa talis omissionis, ut *nolo audire sacrum*, vel occasio illius, ut venatio, ludus, aut somnus tempore, quo urget præceptum. *Secundo*, quod talis actus potest se habere mere concomitantem, nullo modo influens in omissionem, supponensque omnem causam intrinsecam, & extrinsecam illius. Tertio, quod tales actus possunt ex se esse boni, vel indifferentes, ut venatio, aut studium, vel possunt esse mali, ut furtum, aut homicidium. Quibus notatis.

91. R. 1. Actus, qui sunt causa, vel occasio omissionis culpabilis, esto alias sint boni, vitari ab omissione, profundèque esse malos, quia sunt causa illius: non quidem diversa malitia, sed eadem, qua ipsa ommissio. Unde actus, & ommissio (hoc est ommissio sacri in die festo propter studium) unicum moraliter constituent peccatum; ideo enim in hoc casu est malum studium, quia est causa omitt-

omittendi sacrum: ergo simul cum omissione unum tantum constituit peccatum.

92. R. 2. Actus pure concomitantes omissionem culpabilem non vitari ab illa, quia eo ipso, quod non influant in illam, vitari ab illa nullatenus valent. *Decrevisi* non audire sacrum in die festo, eo pergis, ubi jam sacrum audire non potes. En completam omissionis causam. Ibi tempore sacri das operam ludu, aut studio: hi actus sunt mere concomitantes, nullo modo influentes in omissionem, ac propterea ejus malitiæ expertes.

93. R. 3. Quando actus ex natura sua malus est causa omissionis, ut dum omittitur sacrum ob furtum perpetrandum, tunc tam actus, quam ommissio induunt circumstantiam notabiliter aggravantem, quia gravitas omissionis augetur, prout ejus causa gravior est. Unde in confessione explicari debet utrumque peccatum, prout causa, & effectus: quia Confessarius diversum efformat iudicium de omissione simplici, ac de omissione ex tali circumstantia proveniente.

## PUNCTUM VI.

## De omissione respectiva ad suam causam.

94. Inq. 1. Quando incipiat, & compleatur peccatum omissionis? R. tunc incipere, quando sequitur ipsa ommissio. Nam qui directe vult ommittere sacrum, peccat tempore, quo elicit hunc actum, qui est causa omissionis; complet vero peccatum, quando urget præceptum, & re ipsa omittit. Ita qui voluntarie ponit causam impediendam auditionem sacri, indirecte vult non audire sacrum: qui enim vult causam, saltem indirecte vult effectum. Imo qui scienter, aut ignorantia vincibilis ponit causam omissionis, tunc peccat, esto ommissio non sequatur: sicut qui se exponit periculo peccandi, peccat, licet peccatum, cujus periculo se exposuit, non sequatur.

95. Inq. 2. An ommissio voluntaria in causa sit in se formaliter peccatum, etiam respectu ebrii dormientis, aut alterius tunc non sui compotis? R. affirm. quia ut aliquid sit formaliter peccatum,

sufficit, quod in causa, aut indirecte sit voluntarium, ut patet in eo, qui ignorantia vincibilis peccat; sed ommissio sacri respectu dormientis voluntaria est in causa, quando antea fuit prævisa: ergo est in se formaliter peccatum. Unde in *cap. mulieres, de sentent. excommuni.* dicitur incurrere excommunicationem majorem illum, qui se inebriat, prævidens Clerici occisionem, hac secuta: excommunicatio autem non incurritur nisi propter peccatum. Consonat huic doctrinae D. Thom. asserens esse peccatum pollutionem in somnis habitam ex turpi cogitatione, vel ex alia causa prævisa secutam. 3. p. q. 80. a. 7.

96. Objic. Præfata ommissio non est libera respectu dormientis: ergo nec peccatum. R. præfata ommissionem esse liberam dormienti indirecte, & in sua causa, quod sufficit ad peccatum formale. Nec obest replica: eo modo est peccatum, quo liberum; sed liberum est solum in causa: ergo ita etiam peccatum. Nam negatur major: quia ebrietas ipsa est peccatum in se, quin in se sit libera. Item actus exterior est in se peccatum, quin sit in se formaliter liber, libertas enim formalis solum sistit in voluntate. Ita igitur actus, seu ommissio in se non libera, potest esse in se peccatum, ex libertate priori, qua quis ipsam voluit directe, aut indirecte.

97. Objic. 2. Ergo Sacerdos volens ante somnum consecrare panem presentem, proferens verba consecrationis in somno, valide consecrate poterit? R. neg. conseq. Disparitas consistit in eo, quod ad conficienda sacramenta requiruntur verba formalia humana, ad peccatum vero sufficit, quod sint hominis antea volentis illa proferre, uti nos asserimus de proferente in somno blasphemias prævisas. Hoc autem ideo est, tum quia bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Tum quia denominatio liberi solum est a voluntate: denominatio vero peccati etiam est ab objecto pravò. Unde stante objecto pravò, seu prohibito, & voluntate saltem indirecte, seu posita in causa, adest formaliter peccatum, quia malum ex quocumque defectu.

98. Replicabis: ergo qui voluntarie ap-

ponit causam propria gravis infirmitatis, prævidens omissionem sacri, & aliorum præceptorum, reus erit omnium omissionum. R. Conc. consequ. Sicut de Sacerdote projecte breviorum in mare asseritur peccare, non solum dum projicit, sed etiam dum omittit recitare, donec vere poeniteat: ita in casu memorato. \* Observa autem, quod omissiones, aut commissiones ex causa voluntarie posita effluentes, sive sint peccata in se, sive solum in causa, aperiendæ sunt in confessione, simul cum sua causa; quia peccata integre debent confiteri: hujusmodi autem omissiones, & commissiones sunt complementum peccati in causa voliti: ergo debent confiteri.

99. Inq. 3. Unde sumatur gravitas omissionis? R. Desumi ex gravitate, & nobilitate actus omissi: quia omnis privatio sumit gravitatem a nobilitate formæ, qua privatur; sed omissio est privatio actus omissi: ergo, quo hic fuerit nobilior, erit illa gravior. Unde quia nobilior est actus religionis, quam abstinentiæ, gravior est omissio sacri, quam jejunii.

## PUNCTUM VII.

## De differentia peccati mortalis, &amp; venialis.

100. Inq. 1. An dentur peccata, quæ ex natura sua alia sint mortalia, alia venialia? R. affirm. Hæc assertio est de fide contra Calvinum, qui omnia peccata contendebat esse ex natura sua mortalia, & solis prædestinatiis venialia, quia eis non imputantur: & contra Lutherum, qui omnia peccata infidelium putavit esse mortalia; fidelium tamen peccata esse venialia, præter infidelitatem, quam solum dicebat esse mortale peccatum: & adversus Bajum, cujus propositio 20. jure confixa est ab Ecclesia: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam æternam.* Igitur dantur peccata ex natura sua mortalia, ut quæ graviter offendunt caritatem Dei, & proximi, justitiam, & alias virtutes simpliciter tales; & etiam peccata ex sua natura venialia, ut simplex mendacium, verba otiosa, & similia. Quod

intelligas per se, non per accidens; peccatum enim ex genere grave potest esse solum veniale, aut e contra.

101. Inq. 2. Quæ sunt peccata, quæ non admittunt parvitatem materiæ? R. dari aliqua peccata, quæ deliberate perpetrata non admittunt parvitatem materiæ; quia in illis tota ratio offensionis in qualibet materia indivisibiliter continetur. Hujusmodi sunt odium formale Dei, infidelitas, hæresis, desperatio, perjurium, violatio sigilli sacramentalis, simonia, contemptus formalis Legislatoris, aut legis, luxuria, blasphemia, sumptio Eucharistiæ a non jejuno extra necessitatem, defectus in materiis, & formis sacramentorum, primæ veritatis in juramento, atque ætatis ad ordines, ad professionem, & alia, quæ tendunt immediate contra Deum.

102. Inq. 3. In quo differant peccatum mortale, & veniale? R. multipliciter differre. Primo enim differunt in eo, quod mortale est mors animæ, quia privat eam gratia, quæ est vita spiritualis, id eoque dicitur mortale. Veniale vero solum privat fervore caritatis, non gratia, quæ est principium veniæ, unde dicitur veniale. 2. Mortale, quantum est ex se, destruit Deum; non ita veniale. 3. Mortale tollit amicitiam Dei, veniale solum illam tepescit. 4. Mortale a Deo avertit, veniale tantum divertit ab eo. 5. Mortale est gravis offensa Dei, veniale autem levis. Illa est offensa simpliciter infinita; ista tantum secundum quid. 6. Mortale est absolute contra legem; veniale dicitur præter legem. 7. Mortale deordinat voluntatem circa finem, veniale solum circa media ad finem. 8. Mortale maculat simpliciter animam; veniale tantum secundum quid. 9. Mortale meretur poenam æternam damni, & sensus; veniale solum temporalem. Alia dantur differentię circa eorum remissionem.

103. Inq. 3. Per quæ media remittantur peccata mortalia, & venialia? R. quando simul adsunt, per eadem media remittuntur. Nempe per attritionem supernaturalem cum sacramento mortuorum: per attritionem supernaturalem existimatam contritionem cum sacramento vivorum: per actum contritionis, aut car-

ritatis, & per infusionem gratiæ, quæ directæ expellit peccata, sicut lux dissipat tenebras. Quando autem peccata venialia sunt separata a lethaliibus, ut in hominæ justo, remitti valent tum per eadem media, tum per sacramenta vivorum, supposita eorum attritione, seu detestatione, & etiam per sacramentalia. Per sacramenta ex opere operato, per sacramentalia ex opere operantis, in quantum excitant ad eorum detestationem. Ratio cur venialia non remittantur, nisi per eadem media, ac lethalia, dum simul adsunt cum illis, est, quia existenti in lethali nullum veniale remittitur, quin per gratiam ei lethalia remittantur. Ex quo confirmatur, quod superius diximus, contra nonnullos oppositum sentientes, nullum veniale remitti in inferno, quia absente gratia nulla fit remissio.

104. Respectu autem justorum, qui cum aliquo veniali decedunt, putamus remitti venialia in altera vita per actum caritatis ferventissimum, quem erga Deum in æternum incessanter diligendum eliciunt in instanti separationis animæ. Hujusmodi quippe actus, utpote intensissimus, & impossibilis cum decremento caritatis expellit peccatum veniale, sicut calor intensissimus omnes frigoris gradus.

105. Inq. 5. Quot, & quæ sint sacramentalia, per quæ venialia remittuntur? R. esse septem, nempe, ictus pectoris, benedictio Episcopalis, aqua benedicta, oratio Dominica, confessio generalis, panis benedictus, & eleemosyna, quæ hoc versu continentur.

*Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.*

Nota, quod in *ly confessus* includitur confessio generalis, & etiam ictus pectoris. Nota etiam sacramentalia non remittere peccata immediate, sed media totum detestatione, vel in quantum movent ad reverentiam Dei, vel ad actum caritatis, aut religionis, ut docet D. Th. 3. p. 9. 87. a. 3.

106. Inq. 6. An aliquod peccatum remittatur aliis non remissis? R. Existenti in lethali nullum peccatum, sive leve, sive grave remittitur, aliis non remissis: quia ad peccati remissionem debet in ani-

ma ingredi gratia, quæ omne expellit peccatum grave; sine gratia vero nulla est remissio. Peccata tamen venialia, supposita gratia, valent remitti aliqua sine aliorum remissione, vel media caritate, aut dolore, vel per sacramenta, vel per sacramentalia juxta eorum detestationem.

107. Inq. 7. Quomodo peccatum ex genere grave potest esse solum veniale? R. ex duplici capite posse id provenire: nempe ex imperfecta deliberatione, & ex parvitate materiæ in præceptis, quæ illam admittunt. Ratio primæ est, quia actus subitus, seu indeliberatus non est perfecte actus moralis, ut patet in semidormientibus. Unde esto peccatum sit ex suo genere grave, manet veniale propter libertatis imperfectionem. Secundi ratio est, quia leviter agit contra legem, ut patet in modicum furante.

108. Inq. 8. Quomodo agnosceretur, quæ materia sit gravis, quæve levis? Triplex ad hoc assignatur regula. 1. Tunc gravis reputatur materia, quando actus præceptus valde conducit ad caritatem Dei, vel proximi: quando vero parum conducit erit levis. 2. Si res præcepta multum conducit ad finem Legislatoris, esto sit in se levis, judicanda est gravis: levis vero si parum conducit. 3. Si materia præcepta non admittit parvitatem, semper gravis est censenda: si illam admittit, inspicere debet conditio personæ peccantis, sius legis, seu ordo ad ipsam legem, ex quibus gravis, aut levitas venanda est. Difficillima sane est discretio inter peccata mortalia, & venialia, ita ut oculatissimos etiam sanctos Ecclesiæ Doctores non semel latuerit; id eo in re adeo obscura id, quod securius est, amplecti debet, dum veritas aperte haberi non possit. Nihil autem securius, quam cavere ab omni peccato.

## PUNCTUM VIII.

## De transitu peccati alias venialis in mortale.

109. Inq. 1. An plura peccata venialia constituant unum mortale? R. neg. quia peccatum mortale meretur poenam æternam, ac infinitam, veniale autem solum temporalem, & finitam; sed de

fito ad infinitum non est proportio, nec accessus: ergo peccata venialia, quantumvis multiplicata, nequeunt constituere unum mortale. D. Thom. ubi supra. ar. 4. in corp.

110. Disponunt tamen ad illud; quod fieri potest positive, & negative. Positive, generando in voluntate quandam pronitatem ad peccandum in illa materia circa quam frequenter delinquit. Nam qui frequenter leviter detrahit, disponitur positive ad graviter detrahendum. Negative, removendo remedia, quibus a peccato lethali custodimur. Sunt autem duo: unum ex parte Dei, paternam scilicet cura, qua uberiora animæ confert auxilia ad tentationes vincendas, & depellenda peccata, quorum fit indignus, qui frequenter venialia deliberate amplectitur. Alterum ex parte hominis, fervor nempe caritatis, qua venialia minuit. Unde homo divinatorum tædio affectus, amissoque eorum sapore, in delectabilia mundana diffusus, tentatione gravi exorta, facile succumbit; nam qui spernit modica, paulatim decedit. Eccles. 19. 1. D. Thom. ubi supra. a. 3.

111. Inq. 2. An peccatum veniale possit transire in mortale? R. 1. Eundem numero actum in esse moris non posse successive esse peccatum veniale, & mortale: hoc est, peccatum veniale jam constitutum in esse talis non posse transire ad mortale, nec e contra; quia peccatum veniale, & mortale in esse moris essentialiter distinguuntur. Potest autem idem numero actus in esse phisico transire successive de veniali in mortale; quia idem numero actus phisicus semideliberatus potest per continuationem fieri plene liber: ut contingit in semidormiente. Similiter eadem immoderata comestio carnis, quæ est veniale, transire valet in mortale, si continuetur die prohibito.

112. Inq. 3. Quot modis peccatum ex se veniale possit fieri mortale? R. posse id multipliciter contingere. 1. Si in eo constitutur finis ultimus, ut si quis ita sit affectus levi gula, ut licet graviter a Deo prohiberetur, adhuc vellet ea frui. 2. Ex conscientia erronea: ut si putares simplex mendacium esse mortale, & illud proferres. 3. Ex fine: ut

si tale mendacium ordinareretur ad seducendam puellam in actum pravam. 4. Ratione scandali; ut si surripias modicum quid a Petro, quem prævides ob id blasphemias prolaturum. 5. Ex contemptu formali Legislatoris, aut legis. 6. Ratione periculi, ut si loquaris seorsim cum femina, prævidens pejora inde secutura. 7. Ex damno; ut si auferas acum a sartore, sciens grave ei inde damnum adveniendum. 8. Ex unione morali plurium parvitatum quoad diem, subjectum, vel effectum. Quoad diem, ut si in die jejunii sumantur plures parvitates. Quoad subjectum, ut si a pluribus leviter auferas. Quoad effectum patet in exemplo de acu, vel calamo sublato, unde provenit effectus graviter nocivus. Vid. tract. 3. a. n. 92.

113. Inq. 4. An lethaler peccaret, qui nullum mortale, quæcumque vero venialia committendi propositum haberet? R. affirm. quia habens tale propositum se exponit positive, & negative periculo labendi in mortale: ergo graviter delinquit. Propositum enim admittendi omnia venialia non solum pronam efficit voluntatem ad mortale, sed deobligat Deum, ut sua specialia auxilia benigne largiatur, ac fervorem caritatis plurimum dimittit; unde positive, & negative ad mortale disponit, & ab eo parum abest. Ita Angelic. 1. 2. q. 88. art. 3. & 4.

114. Inq. 5. Quantum malum sit peccatum veniale? R. Vix credi, nec explicari valet; quia imprimis minimum malum culpæ superat omne malum poenæ etiam alterius vitæ. Ita ut quælibet culpa levis, utpote injuria facta Deo, detestabilior est omni poena inferni. Unde omnes coelites potius summa gloria, qua gaudent se privari, & ad inferos proici paterentur, quam minimum veniale in se admittere. Optime dicit Sancta Theresia cap. 41. Via n. 3. se nescire, quomodo possit esse levis talis audacia contra Deum, dum fit ex professo. Est enim dicere: scio hoc displicere Deo, qui me videt, sed malo placere mihi. Quantum id displiceat Deo, patet ex illa levi noxa Prophætæ missi ad Jeroboam morte punita, ex repentina item morte Ananias, & Saphiræ; ex exclusione Moysis, & Aaron a terra promissionis. Ex tremendo

do supplicio uxoris Lot ob levem culpam curiositatis, & omissis aliis maximis suppliciis relatis in divinis scripturis, & annalibus ecclesiasticis, patet etiam ex gravissimis tormentis, quibus animas sibi dilectas cruciat Deus pro venialibus per triginta, quadraginta, centum & amplius annos voracibus flammis traditas in purgatorio. Agnosce pie lector malitiam culpæ venialis, perhorresce eam, fuge ab illa sicut a facie colubri, & mirare quam facile committitur, quod tam graviter puniri meretur.

## PUNCTUM IX.

## De habitu vitioso.

115. Inq. 1. Quid sit habitus vitiosus, seu habitus peccandi? R. Est facilitas quædam orta ex repetitis actibus vitiosis ad similes alios vitiosos. Distinguitur a peccato habituali in eo, quod ad hoc sufficit unum peccatum, ad illum vero generandum requiritur repetitio peccatorum: & etiam in eo, quod peccatum habituale grave est incompatible cum gratia; sed habitus vitiosus, etiam gravis, est compatibilis cum illa; patet in homine vitioso, qui actum perfectæ contritionis eliceret, aut sacramentum poenitentia: cum attritione sufficienti reciperet, & differt etiam ab occasione proxima: quia hæc habetur cum aliquo extrinseco; habitum autem vitiosum secum potest habere.

116. Inq. 2. An habitus vitiosus sit peccatum? R. habitus vitiosus, sicut consuetudo peccandi, potest quadrupliciter considerari. Primo, active, & in fieri; 2. formaliter; 3. concomitanter; 4. consequenter. Primo modo dicit actum repetitionem, quo generatur habitus vitiosus, & facilitas peccandi in illa specie; idque circum fateri debet in confessione, quia cum advertat, vel advertere debeat constitui per illam facilitatem in periculo proximo ulterius labendi, in quo absdubio adest novum peccatum, hoc utique est in confessione aperiendum. Secundo modo nihil aliud est quam ipse habitus, qui peccatum distinctum ab eis, quæ ex eo proveniunt, non est. Tertio modo dicit voluntatem non expellendi ip-

sum habitum pravam, quo pacto est novum peccatum; ideoque in confessione manifestandum. Quarto denique modo dicit peccata ex habitu pravo consecuta, quæ nullus ambigit esse clavibus subjicienda. Uno verbo: licet habitus vitiosus formaliter sumptus non sit peccatum, debet poenitentis patefacere, si peccata proveniunt ex prava consuetudine, aut habitu vitioso. Quæ intelligenda sunt de habitu vitioso gravi: potest namque esse etiam levis; quando nempe oritur ex levibus peccatis, & tunc solum ab his, qui ad perfectionem tendere debent, necessario est in confessione aperiendus, si illam assequi velint.

117. Inq. 3. An idem sit habitus vitiosus, ac concupiscentia? R. neg. quia habitus vitiosus producit, a peccatis iteratis, & semper est malus; ac concupiscentia nec semper est mala, nec a peccatis repetitis generatur; sed est quædam vis insita nobis ab Authore nature, qua appetimus ea, quæ non habemus. Igitur concupiscentia est duplex. Una bona, altera mala. Bona est, qua medio ductu rationis appetimus nobis necessaria, aut utilia, potissimum spiritualia juxta illud Sapientia: 6. Concupiscite sermones meos, & Eccles. 24. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me. Mala est, qua illicita appetuntur, prohibenturque nonno, ac decimo Decalogi præcepto. Deuter. 5. 21. Non concupisces uxorem proximi tui. Et Exod. 20. 17. Non concupisces domum proximi tui. Unde in nono præcepto vetantur omnes illicitæ concupiscentia: circa venerea, & in decimo omnes pariter illicitæ concupiscentia: circa proximi bona. Itaque non est mala concupiscentia per rationem ordinata circa bona sive temporalia, sive aterna; mala vero est, quæ neglecta rationis regula, in illicita diffluit, rebellionique appetitus consentit. Idem teneas de omni appetitu naturali, ac de ira.

118. Inq. 4. An appetitum naturalem suis actibus frui sit vitiosum? R. Affirm. quia appetitus naturalis debet uti, non frui suis actibus: hoc est, debet illis uti tamquam medijs a natura ad suos fines ordinatis, non illis frui tamquam finibus, ne pervertat ordinem naturæ, assumendo media tamquam finem. Unde com-

medere, & bibere propter voluptatem est illicitum, idem de copula conjugali, & quacumque alia actione, ut de auditu musicæ, aspectu, aut alatu florum, & cæteris, quibus non ad voluptatem, sed ad animum recreandum, caput confortandum, vel necessitati subveniendum uti, non frui debemus. Vide suo loco proposit. 8. damnatam ab Innoc. XI.

## PUNCTUM X.

## De advertentia, &amp; consensu ad peccatum requisitis.

119. Inq. 1. Quid requiratur ad peccatum? R. ad peccatum ut sic, requiritur aliqua advertentia ex parte intellectus, libertas, & consensus ex parte voluntatis, & materia prohibita. Ad peccatum vero grave requiritur advertentia perfecta, sive in communi, sive in particulari, & libertas perfecta sive in se, vel respective. Ad peccatum denique veniale requiritur, & sufficit aliqua advertentia, & consensus imperfectus circa objectum grave veritum, aut perfectus consensus cum plena advertentia circa rem undeque leve.

120. Pro cuius luce observa 1. quod triplex datur cognitio: nempe, omnino indeliberata, ut in motibus primo primis, qui omnem advertentiam reflexionem ad malum: semideliberata, ut in motibus secundo primis, qui accidunt cum imperfecta advertentia, velut in semidormientibus: & plene deliberata, ut in motibus perfecte cognitis, & a voluntate plene admissis: cum enim voluntas sit potentia cœca, & sequatur in omnibus ductum intellectus, juxta triplicem advertentiam ex parte intellectus respondet ex parte voluntatis, & appetitus triplex motus. Ex quibus primi immunes sunt a culpa; secundi non excedunt venialem; tertii gravis culpa sunt obnoxii. Nulli autem eorum admittuntur in Christo Domino propter unionem cum Verbo, respectu cuius omnes motus fuerunt perfecte liberi; nec in B. V. tum quia eam contemplamur cum privilegio status innocentie, ubi non erat partis inferioris rebellio, quæ per culpam ad nos intravit; tum propter peculiarem assistentiam

Spiritus Sancti, cuius directio, ac cura circa hanc mirabilem creaturam ab omni labe culpæ penitus eam servavit immunem.

121. Observa 2. dupliciter posse cognitionem terminari ad objectum. Primo, agnoscendo illud secundum quod sibi est utile, delectabile physice, non cognita ejus malitia, aut prohibitione: ut qui die veneris nihil de prohibitione cogitans, carnes edit. Secundo, agnoscendo illud tam in esse physico, quam in esse morali, sive in communi, sive in particulari, sive ut grave, sive ut leve. In primo casu non adest culpa, sicut in eo, qui omnino oblitus diei festi, sacrum omittit, aut jejunium violat. In secundo adest major, aut minor culpa juxta gradum advertentia, & cognitionis.

122. Inq. 2. An qui ex oblivione, ignorantia, aut errore inculpabili omittit sacrum, jejunium, aut horas canonicas possit gaudere de sua omissione, laborisq; inculpata excusatione? R. neg quia licet dictæ omissiones excusentur a culpa propter oblivionem, sunt tamen in se male, utpote prohibita: ideo debet quis de eis potius tristari, quam gaudere. Maxime cum sit periculum alicujus negligentia, ac culpæ in ipsa ignorantia, aut oblivione. Nec est audiendus Tamburinus oppositum adstruens lib. 10. in Decal. c. 5. §. 1. n. 2. solum ergo gaudere quis poterit de prædictis, aut aliis omissionibus, quando proveniunt ex dispensatione legitima, aut alia justa, & sufficienti causa. Unde nunquam valet quis gaudere, nec delectari de homicidio; aut aliis actionibus in se malis, in somno, aut ebrietate perpetratis; quia objective, & ex sua natura sunt semper male, nec a malitia intrinseca possunt aliquando demereri.

123. Inq. 3. An voluntas debeat positive resistere motibus concupiscentiæ, seu appetitus sensitivi circa objectum graviter prohibitum, vel possit negative se habere, illos permittendo? Pro resolutione nota 1. duplicem dari consensum voluntatis. Alium formalem directum, & expressum, ut dum quis vult directe furari, aut occidere. Alium virtuales, indirectum, aut interpretativum, ut dum quis vult causam connexam cum effectu,

vir-

## PUNCTUM XI.

## De consensu voluntatis in illicitos effectus.

virtualiter vult effectum. Unde volens navis submersionem, vult virtualiter omnia damna inde secuta. Uterque consensus est sufficiens ad peccatum mortale.

124. Nota 2. Quod si ex permissione motus illiciti sequatur periculum consensus formalis, aut alterius gravis damni, tenetur voluntas sub gravi ei positive resistere, & vitare periculum consensus pravi, aut alterius damni. Nota 3. quod in permissione talium motuum plerumque adest saltem peccatum veniale propter negligentiam resistantiæ. Difficultas solum versatur, an etiam in dicta permissione sit peccatum lethale?

125. R. affirm. quia in præfata permissione adest consensus virtualis, seu interpretativus; qui enim faciliter potest reprimere motus invidia, aut injustitiæ, seu alterius vitii, & non reprimat, virtualiter illos vult. Verum quando voluntas actibus seriæ detestationis interioris, invocationis divini auxilii munita, absque periculo consensus perseverat in eorum dissensu, & nolitione, non tenetur sub gravi illos motus exteriori cohibitione repellere: quia inordinatio, & malitia in eis reperta, quando nullo modo est volita, non excedit culpam venialem, ut cum pluribus docent N. Salmant. scholat. tract. 13. disp. 10. dub. 1. §. 1.

126. Nihilominus laudabile, imo viro timorato quodammodo debitum est tales motus, si absque notabili incommodo possit, etiam actu exteriori cohibere; tum ad depellendam omnem consensus suspensionem; tum ad vitandam culpam venialem, quæ ex omissione dictæ cohibitionis potest incurri; tum ad majus meriti, & virtutis augmentum, ac etiam gratiæ dispositionem. Possunt tamen hi motus, imo aliquando debent permitti, ac despicere absque cohibitione exteriori, supposito interiori dissensu, dum surgunt ex causa honesta, aut necessaria, ut ex lectione librorum de materia lubrica pro communi utilitate assumpta, ex auditu confessionum, ex aspectu, aut tactu ad medendum necessario.

127. Inq. Quando dicatur voluntatem consentire in illicitos effectus ex applicatione causæ liberæ? Pro hujus dubii decisione notandum est, quod aliæ sunt causæ influentes per se in effectus illicitos, aliæ per accidens. Per se influunt, quæ ex natura sua ad effectum illicitum concurrunt: ut propinatio veneni ad mortem, & tactus, aspectusque lascivi ad pollutionem. Per accidens dicuntur influere causæ, vel quia concurrunt removendo prohibens, vel quia aliis effectibus, in quos directe influunt, junguntur alii per accidens: ut quando ex hoc, vel illo modo accubandi sequitur pollutio. Deinde ex his causis per se quædam sunt notabiliter influentes; & quædam leviter, ut respectu pollutionis tactus levem manus fœminæ. Aliæ dicuntur mediæ, ut aspectus propterea corporis.

128. Præterea aliquæ ex causis per se solum habent concurrere ad effectum illicitum, vel si ad alios concurrunt, est mediante illo: ut propinatio veneni. Aliæ vero sunt quæ primo influunt in effectum licitum, & eo mediante in illicitum: ut tactus chirurgi concurrat immediate ad curationem, & mediate si sit in verendis, potest concurrere ad pollutionem. Ultimo nota, quod plures causæ, quæ leviter influunt in effectum illicitum respectu unius personæ, possunt graviter influere respectu alterius. Unde ad cognoscendum, quæ causæ sunt leviter, aut quæ graviter influentes, ad qualitatem materiæ, & subjecti attendendum est. His suppositis.

129. R. 1. Voluntatem tunc directe consentire in effectus illicitos, quando applicat causam, quæ vel est determinata ad effectum illicitum, vel præcise eo mediante in effectum licitum potest influere. Qui enim libere vult causam præcise habentem effectum illicitum, vel si alium habet, est mediante illo, vult simul causam, & effectum illicitum: ergo directe vult aliquid illicitum. Æque namque fertur in bonum, & malum effectum.

Igitur consentit in malum, sicut in bonum, quod numquam licet.

130. R. 2. Si causa prius, aut per se primo habet effectum bonum, & per accidens malum, adestque sufficiens necessitas juxta gravitatem materiæ, potest licite applicari ad effectum bonum; ita ut voluntas, licet effectus malus prævideatur, non ex hoc dicatur illum velle: quia effectus pravius non est directe, nec indirecte volitus, sed præcise permissus in applicatione causæ. Unde mulier gravida, si periculose labore, potest sumere medicamentum inductivum sanitatis, esto sit cum periculo abortus factus inanimati; tunc enim licet causet abortum, est præter intentionem.

131. R. 3. Quod licet causæ sint per accidens aut mediæ, si tamen ex eis prævidentur futuri effectus graviter nocivi, censetur voluntatem eos velle in applicatione illarum, quando non urget ad hoc gravis necessitas, & sic tenetur abstinere ab applicatione illarum. Et ratio est, quia qui vult causam, ex qua prævidetur futurum effectum pravius, si non urget necessitas, censetur velle malum futurum: Ergo necessitas hæc debet esse gravis, & urgens juxta materiæ qualitatem, & cui non possit alia via tunc occurrere; quippe si potest alia via occurrere, jam non erit urgens, & necessaria applicatio illius causæ.

#### PUNCTUM XII.

##### De delectatione morosa.

132. Inq. 1. Quid sit delectatio morosa? R. est simplex complacentia objecti pravi cogitati sine intentione efficaci executionis illius. Delectatio dicitur morosa, non ex mora temporis, sed ex eo, quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam expellit, tenens, & volens libenter, quæ statim, ut attigerunt unum, respici debuerunt. Ita D. Thom. 1. 2. q. 74. a. 6. ad 3. Duplex potest dari cogitatio morosa: prima de objecto pravo cogitato; secunda de cogitatione ipsius objecti pravi; ita ut cogitatio sit objectum quod delectationis, & objectum pravius est quid se habens de materia: Et hæc delectatio, si absit pericu-

lum consensus, non est mala, & aliquando potest esse bona, ut si fiat causa consultationis, prædicationis, vel audiendi confessiones, in quo effectus, & intentio attendi debent. Intentio pariter potest esse efficax, & inefficax, illa est, quæ applicat media ad consecutionem finis; hæc vero ea non applicat; sed negligit. Unde patet, quod Plato verius posuit non omnes delectationes esse malas, sicut Stoici; nec omnes bonas, sicut Epicurei: Sed quasdam esse bonas, & quasdam malas ait D. Th. 1. 2. q. 34. a. 3.

133. Inq. 2. An delectatio morosa specificetur ab objecto, & circumstantiis illius? R. affirm. specificatur ab objecto, quia omne respectivum specificatur a termino, & objecto, quod respicit; sed delectatio est actus respectivus, cum sit moralis: ergo ab objecto sumit suam speciem. Rursus delectatio terminatur ad objectum vestitum suis circumstantiis, illasque approbat: ergo ab eis sumit etiam suam speciem.

134. Ex quo inferitur 1. Delectationem morosam objecti mortalis esse peccatum lethale: quia sumit suam speciem ab objecto, quod supponimus esse mortale: ergo eandem malitiam habet, ac objectum. Quod intelligendum est non solum de prohibitis jure naturæ, verum etiam de prohibitis jure positivo, consideratis sub ea ratione, qua prohibentur: quia sicut malum est furtum, ita malus est esus carniæ die prohibito.

135. Inferitur 2. Eum, qui delectatur de foemina conjugata, cognita ut tali, peccare mortaliter, non solum peccato fornicationis, sed etiam adulterii: quia terminatur ad objectum cum tali circumstantia: quod etiam verificatur, licet per intellectum velit illam circumstantiam præscindere: quia circumstantia alienæ uxoris imprescindibilis moraliter est ab objecto. Aliud esset, si ex errore invincibilis illam solutam judicaret.

136. Inferitur 3. Non peccare mortaliter, qui delectatur morose die veneris de esu carnis mente concepto, non quia prohibito, sed quia stomachum melius nutrit, aut palatum magis oblectat: quia in his, quæ tantum sunt prohibita jure positivo potest præscindi substantia operis ab ejus prohibitione, & malitia: cum

hæc

hæc adveniat illis omnino ab extrinseco ex prohibitione legis. Oppositum dicendum est in prohibitis jure naturæ.

137. Inferitur 4. Non esse lethale delectari de objecto mortali, non quia male, sed quia quoddam mirabili, & artificioso modo fuit peractum: quia tunc delectatio versatur circa modum: hoc est, circa dexteritatem, ingenium, fortitudinem, velocitatem, quæ nullam malitiam important. Poterit tamen esse lethale talis delectatio, si sit periculum committendi simile peccatum, aut consentiendi in ipsa re, vel modus artificiosus sit in se malus: quia tunc delectatio est de objecto pravo. Cognoscetur tamen delectationem esse præcise de ipso modo ingenioso, quando æque delectat, si inveniatur in rebus licitis, ac in illicitis.

138. Inq. 3. An sit licitum delectari de damno proximi spirituali, aut temporali ob bonum finem? R. 1. illicitum esse delectari ex quocumque fine de proximi damno spirituali, etiam levi: quia ex caritate tenetur nulli, quantumvis peccatori, optare aliquid malum spirituale ex quocumque fine. R. 2. quod propter bonum spirituale ipsius proximi, aut temporale commune reipublice licitum est delectari de morte, aut damno temporali ejusdem; quia tam bonum spirituale ipsius proximi, quam temporale commune longe excedit, præferrique debet illius damno peculiari. Unde complacere quis licite valet de infirmitate, aut morte peccatoris, ut a peccatis distat; aut ne aliis sit occasio ruinæ, sicut etiam de morte Turcarum, aut hæreticorum, ne sua peste alios inficiant.

139. Pariter de damno proximi a Deo, sive a publica autoritate juste inflictio licitum est gaudere propter ejus bonum spirituale, aut temporale commune. Nota tamen, quod delectati de objecto, seu effectu illicito, etiam ob bonum finem, numquam licet: quia esto ratio movens delectationem sit bonus finis; ratio tamen illam terminans est tam bonus finis, quam effectus illicitus, de quo delectari nemini licet. Unde nullus delectari valet de homicidio propter familiæ pacem, aut aliud bonum temporale, quod clarius patet ex num. seq.

140. R. 3. Quod ob bonum temporale particulare non licet delectari de damno gravi proximi: quia ex caritate tenetur vitam proximi divitiis, & particulari emolumento temporali præferre, qua ratione Innocent. XI. juste proscripsit propositiones 13. & 14. Nec potest quis delectari de actione ex se mala, esto a peccato ob ignorantiam, vel alias causas excusata, ut de furto, fornicatione, aut homicidio in somno, aut ebrietate perpetratis; quia esto ut sic non sint formaliter mala; sunt tamen objective prava: Unde circa parricidium in ebrietate perpetrari delectationem merito proscribitur est ab eodem Pontifice proposit. 15.

141. Inq. 4. An sit licitum delectari, & gaudere non de malo proximi, sed de bono sibi inde secuto? R. Si quis gaudet, aut delectatur, non de morte hæredis, sed de hereditate absque ullo suo eonatu, aut influxu inde sibi profecta, non ut profecta, aut connexa cum morte, sed prout potuit aliunde provenire, non peccat, quia solum gaudet de bono, præscindendo ab omni malo. Nec hoc damnatur in indicatis propositionibus. Quoniam in illis reprobatum tristitia de alicujus vita; gaudium de ejus morte; & delectatio de parricidio a se in ebrietate patrato, propter divitias, aut commodum temporale, quæ valde distant a delectatione boni ab omni malitia præcisi; prout etiam de gaudio circa filium ex copula illicita habitum; non quidem ut effectum talis copulæ, neque ut cum ea connexum, sed alias tamquam quid bonum, de quo delectari est licitum.

142. Inq. 5. An quis possit licite optare suam mortem? R. 1. in nullo eventu licere se directe occidere, prout fecere plures hæretici, seipso inhumane, & feraliter occidendo. R. 2. optare serio sibi mortem ex impatientia, aut ira, uti faciunt non pauci, esse lethale: quia est contra jus Dei, qui solus est Dominus vitæ, & mortis, contra jus naturæ, & humanum. Dixi serio, quia plerique, præsertim mulierculæ explicant suam impatientiam, & iracundiam vocando mortem; aut non serio, sed turbatione, & passione abreptæ: sunt tamen dignæ acriter

cor-



correctione, & sæpe saltem propter scandalum graviter peccant.

143. R. 3. Optare mortem cum submissione ad divinum beneplacitum, suamque providentiam ob honestam tristitiam ortam ex aliquo malo gravissimo, non esse peccatum. Patet ex *cap. 2. Num. Ubi* Moyses perfidia populi pertæsus dicitur obsecrasse, ut Deus illum interficeret. Idem postea fecit magnus Elias, & de aliis sanctis veteris, ac novi testamenti id ipsum reperitur scriptum. Unde propter acerba tormenta, propter dolores valde intensos, duram captivitatem, gravem infamiam, aut alia gravissima mala imminuentia licitum est optare modo dicto suam mortem. Nam *melior est mors, quam vita amara.* Eccles. 30. 17.

144. R. 4. Optare mortem ex motivo Deum videndi, eoque fruendi esse actum valde laudabilem: unde Apostolus cupiebat dissolvi, & esse cum Christo; & S. M. N. Teresa miro flagrans caritatis ardore idem summopere optabat. Similiter laudabile est, ut quis optet mortem propriam, ne amplius incidat in peccatum; potius enim quamlibet mortem debemus admittere, quam aliquam culpam, etsi levem, contra Deum.

145. Inq. 6. An sit licitum delectari de rebus, quæ graviter peccaminosæ sunt, sub ea tamen conditione, si licerent, aut male non essent? R. negat. ac proinde talem delectationem esse peccaminosam: quia objectum est absolute prohibitum, & conditio apposita se habet mere speculative. Similiter desideria conditionata circa objecta ab intrinseco mala sub conditione, quod non essent mala, numquam sunt licita; quia numquam possunt denudari a malitia: affectusque in illa tendens, cum sub conditione impossibili tendat, semper est pravus, ac illicitus juxta gravitatem materiæ desideratæ. Unde qui desiderat fornicari, aut mentiri, si hoc liceret, graviter peccat in primo, & leviter in secundo. Etiam adest peccatum grave in hoc actu, nisi statum meum spectarem, vindicarem. Verum desideria circa objecta solum jure humano prohibita, seu non ab intrinseco mala sub conditione quod non essent prohibita, non sunt graviter mala, licet alias sint illicita.

146. Inq. 7. An omnia peccata hominum sint ex suggestione Diaboli? R. neg. Prob. ex lib. de *eccles. dogm. cap. 82.* ubi dicitur: *Non omnes cogitationes nostræ malæ a Diabolo excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrii motu emergunt.* Igitur non est Diaboli causa directa, nec immediata peccatorum omnium hominum; licet sit causa indirecta, & occasionalis eorum, in quantum directe suggestit primum peccatum, ex quo natura nostra fuit vitata, remansitque proclivis ad malum. Unde causa directa omnis peccati in nobis est amor propria inordinatus, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 7. art. 4.

Dices: qui graviter peccat, fit servus diaboli: ergo superatur ab eo, quod non accideret, si ipse non suggereret omne peccatum. R. neg. consequ. quia non solum fit servus alicujus, qui ab eo superatur, sed etiam qui et voluntarie se subjicit: & hoc modo fit servus Diaboli, qui motu proprio peccat, ait Angelic. ibi. q. 80. a. 4. ad 2.

## CAPUT IV.

## De distinctione specifica, &amp; numerica peccatorum.

## PUNCTUM I.

## De distinctione specifica peccatorum.

147. Inq. 1. Quæ, aut quotuplex sit distinctio, quæ dari valet inter peccata? R. quod distinctio, quæ datur inter peccata, & cujus notitia indigent confessarii, est duplex: nempe specifica, & numerica. Illa datur inter ea, quæ habent formas, seu principia essentialia diversa, ut inter hominem, & equum. Ista versatur inter ea, quæ solum numero differunt, ut inter Petrum, & Paulum, aut duplicem equum. Unde distinctio inter perjurium, & furtum est specifica; inter duo autem perjuria, aut furta est numerica. De hac punct. seq. erit sermo.

148. Inq. 2. Unde sumatur distinctio specifica peccatorum? R. Desumi primo, & per se ab eorum objectis specificè distinctis, quia peccatum est actus voluntatis; sed actus voluntatis sumit speciem ab

ab objecto formali, in quod tendit: ergo etiam peccata ita illam desumunt, & consequenter distinguunt juxta objecta specificè diversa. Ad melius vero agnoscendam hujusmodi distinctionem quinque sequentes regulæ apponuntur. Ex D. Thom. 1. 2. q. 73.

149. 1. Quando plures actus tendunt contra diversas virtutes adest distinctio specifica peccatorum; ut peccata, quæ tendunt contra fidem, differunt specie a peccatis, quæ vergunt contra spem, & caritatem. 2. regula, quando vel in eodem actu, vel in pluribus adest specialis dissonantia contra rationem, datur distinctio specifica peccatorum, licet tendant contra eandem virtutem; ut videtur in avaritia, & prodigalitate, quæ specie differunt, esto tendant contra eandem virtutem liberalitatis; & in audacia, & pusillanimitate tendentibus contra fortitudinem. 3. regula, esto actus tendant contra eandem virtutem, si auferunt bona in esse moris specie diversa, datur distinctio specifica peccatorum: unde licet homicidium, contumelia, detractio, furtum, & susurratio tendant contra justitiam; tamen specie differunt, quia auferunt bona specie distincta in esse moris. 4. regula, quamvis actus sit idem, si opponatur diversis virtutibus propter aliquam circumstantiam mutantem speciem, datur distinctio specifica peccatorum, ut patet in adulterio, incestu, rapina, & in furto rei sacræ, vel in Ecclesia perpetrato. 5. regula, quando dantur diversa præcepta ex distinctis motivis formalibus, intrinsecis, ac per se inspectis, in eorum violatione dantur peccata specie distincta, ut in violatione jejunii ab Ecclesia, & a Confessario præscripti.

150. Verum sive peccata differant specie, quia tendunt contra distinctas virtutes, vel contra eandem cum peculiari dissonantia, vel auferendo bona diversa specificè in esse moris, vel addendo actui aliquam circumstantiam, vel ex diversitate formali rei præceptæ, seu causæ finalis, aut motivi intrinseci; universaliter verum est eorum distinctio nempe specificam desumi ab objectis specie distinctis. Ideo enim specie differunt, quia objecta, in quæ tendunt, induunt

Tom. I.

illam malitiam, seu deformitatem cum lege, ratione, aut virtute, eamque fluunt in actum peccaminosum. Unde licet aliquando videantur peccata specie differre ex diversitate formali præceptorum; revera potius differunt ex diversitate formali finis, vel rei præceptæ, seu objecti tali sine intrinseco affectu; ut liquet in exemplo violationis jejunii ab Ecclesia præscripti, & a Confessario impositi; in qua violatione adest duplex peccatum: aliud contra temperantiam, aliud contra poenitentiam ex diverso fine formali Deo satisfaciendi. Ex diversitate autem præceptorum ex parte principii, seu præceptum minime sumitur distinctio specifica peccatorum, quia est materialis talis diversitas. Ideo esto furtum prohibeatur præcepto naturali, divino positivo, ecclesiastico, & civili, ex his capitibus unum tantum peccatum constituit. Unde secundum diversa præcepta legis non diversificantur peccata, inquit D. Th. ubi sup. q. 72. a. 6. ad 2.

151. Dices: inobedientia formalis contra præceptum divinum, & inobedientia formalis contra præceptum humanum specie differunt; sed non aliunde nisi ex diversitate specifica præceptorum, seu præceptium: ergo distinctio specifica peccatorum sumitur ab eorum principii, seu a præceptis, vel præceptibus. R. conc. major. & neg. min. & consequ. quia ideo inobedientia formalis contra Dei præceptum differt specie ab inobedientia contra præceptum humanum, quia tendit in objectum formale diversum, hoc enim peculiare habet obedientia formalis, quod tendat in objectum formaliter ut præceptum; unde inobedientia formalis, cum sit violatio hujusmodi obedientiæ, differt specie juxta præcepta specificè diversa, hoc est, juxta objecta eadem diversitate affecta. In reliquis peccatis esto adsit inobedientia, est tamen generalis, seu materialis, quæ nec ponit in re, nec distinguit illa in specie.

152. Inq. 3. An omnia peccata sint æqualia? R. neg. ex *cap. 19. Joann.* Ubi dicitur ad Pilatum: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* De peccatis etiam specie distinctis liquet ex eo, quod species se excedunt sicut numeri: ergo inter peccata dantur alia aliis graviora.

Na

Il.

Illud autem peccatum est secundum suam speciem gravius, quod directe opponitur præstantiori virtuti, & objecto primario illius: quia tale peccatum est pejus, ac rationi magis dissonum, ut odium formale Dei respectu aliorum omnium peccatorum. Quod non ita accidit, si solum opponatur objecto secundario præstantioris virtutis, quia perfectio virtutis non ita refulget in objecto secundario: unde hæresis majus peccatum est, quam odium proximi. Pariter si peccatum oppositum inferiori virtuti includit etiam oppositionem cum præstantiori, gravius consurgit peccato huic opposito. Unde adulterium oppositum castitati, quæ inferior est justitia, gravius est furto, quia includit etiam injustitiam. Ex peccatis oppositis eidem virtuti peccata commissionis graviora sunt ex se peccatis omissionis: quia hæc privative, ac velut initiative, illa vero positive, & complete opponuntur virtuti. Peccatum ex objecto gravius superari valet in malitia a peccato inferiori speciei in æstimatione morali ratione alicujus circumstantiæ. Sicut magna summa argenti superat in æstimatione morali unciam auri. Unde perjurium, licet ex se gravius furto, potest superari ab hoc moraliter ratione circumstantiæ, sive maximæ intensionis, sive maximæ quantitatis. D. Thom. 1. 2. q. 73. a. 2.

153. Inq. 4. Quid, & quotuplex sit circumstantia? R. Quod circumstantia est *accidens actui humano extrinsecus adveniens*. Est enim extra essentiam actus moralis, illumque extrinsecus comitatur. Septem communiter numerantur circumstantiæ: nempe *quis, quid, quibus auxiliis, ubi, cur, quomodo, quando*. *Quis*, denotat personam, ejusque statum; ut si est Sacerdos, religiosus, aut uxoratus. *Quid*, quantitatem materiæ, seu objecti, an parva, vel magna. *Ubi*, designat locum ubi actus exercetur, ut Ecclesiam *Quibus auxiliis*, instrumenta, seu media adhibita ad peccandum, ut enssem, aut baculum ad percutiendum, aut lenonem, seu mediatricem ad sceminam sollicitandam. *Cur*, innuit finem extrinsecum, ut si furatus est ad fornicandum. *Quomodo*, exprimit modum actus, sive ejus libertatem, intensionem, dura-

tionem, aut aliam peculiarem malitiam, ut si fiat cum sævitia. *Quando*, prohibet tempus, quo fit actus, ut si in die festo, vel speciali devotioni dicato.

154. Ex his circumstantiis aliæ sunt *mutantes speciem*, ut quando furtum fit in loco sacro; aliæ *aggravantes intra eandem speciem*, vel *notabiliter*, ut furtum centum aureorum, vel *leviter*, ut furtum quinq; regalium, supposito, quod quatuor regales constituent materiam gravem: aliæ sunt *diminuentes*, vel *intra eandem speciem*, ut metus, ignorantia, inadvertentia, aut parvitas materiæ, vel extrahendo actum a graviore specie, ut accessus ad uxoratam ex ignorantia status, qui ex hac circumstantia transferitur a specie adulterii in simplicem fornicationem. Ex quibus constat peccata ratione circumstantiarum quandoque distinguí specie, quandoque aggravari, vel minui intra eandem speciem, vel etiam transferri ab specie graviore ad minorem. Aliquando circumstantia prava tribuit primam peccati malitiam actui alias bono: ut si audias missam sine furandi, vel impudice foeminam aspiciendi: regulariter vero actui pravo novam addunt malitiam, aut eam minuunt, prout dictum est. D. Th. 1. 2. q. 73. a. 7.

## P U N C T U S II.

## De distinctione numerica peccatorum.

155. Inq. 1. Unde sumatur distinctio numerica peccatorum? R. quod pro clariori responsione quæsitæ sex regulæ assignantur. 1. Quando dantur plures actus completi inconnexi, & adequati contra eandem virtutem, tot sunt peccata numero distincta, quot actus. Ut in decem furtis completis, & decem homicidiis. Idem est de Confessario absolvente in lethali decem poenitentes, nam quilibet absolutio est actus completus, adequatus, & inconnexus cum aliis. Idem sentiunt aliqui de Sacerdote, qui non rite dispositus Eucharistiam ministrat decem personis. Est enim actio valde sacra, unaque communio ab aliis inconnexa. Verum communis est oppositum, quia Eucharistia ministratur per modum convivii.

156. 2. *Regula*: esto actio *physice*, seu

*active* sit una, si *moraliter*, aut *passive* sit multiplex, multiplicantur numero peccata juxta numerum personarum offensarum. Ut unico istu feriens, aut occidens sex homines; vel unico verbo illos scandalizans sex saltem peccata committit: quia lasio, seu mors, sive spiritalis, sive corporalis unius non connectitur cum damno alterius. Pariter blasphemans simul de duodecim Apostolis, aut infamans unico actu totam familiam duodecim personis coalescentem, non unum, sed tot saltem numero peccata committit, quot sunt personæ; nam quilibet ad suum honorem, & famam habet jus ab aliis inconnexum. Eadem ratione, qui unico actu plures oves a distinctis dominis furatur, tot committit peccata, quot sunt domini, lædit enim illa actione plurium jura. Item qui unico actu statuit per totam quadagesimam non jejunare, aut omittere horas canonicas, juxta numerum dierum committit peccata numero distincta, quia cuilibet diei suum peculiare debetur pensum. Idem est de concupiscente plures sceminas, sive solutas, sive uxoratas, aut Deo dicatas. Et ita de aliis casibus, in quibus personarum numerus quantum fieri possit, exprimi debet cum suis circumstantiis speciem, vel judicium Confessarii variantibus.

157. *Objic.* 1. Plura accidentia solo numero distincta nequeunt simul recipi in eodem subjecto: erg. nec plures malitiæ solo numero distinctæ in eodem actu. 2. Actus, quo quis vult subvenire decem pauperibus, unicam habet bonitatem: erg. actus, quo quis vult lædere decem homines, unicam habebit malitiam. R. ad 1. quod licet accidentia etiam moralia physice, aut metaphysice considerata nequeant simul esse in eodem actu, vel subjecto; bene vero moraliter sumpta relative ad plura objecta, quæ respiciunt tamquam effectus, seu terminos, ex quibus moraliter multiplicantur. R. ad 2. Quod plus requiritur ad bonum quam ad malum. Ad hoc enim multiplicandum sufficit velle diversa mala etiam indirecte, ut patet in furante rem sacram, cujus circumstantiam solum indirecte vult latro, & tamen duplex committit peccatum. At bonitas virtutis so-

lum multiplicatur ex diverso motivo honestatis illius: cum ergo actus quo quis vult subvenire decem pauperibus, fiat sub uno motivo subveniendi, & unam tantum habet bonitatem. Vel R. neg. antec. quia est valde probabile actum subveniendi decem pauperibus decem bonitates habere.

158. 3. *Regula*, quando circa diversas materias adsunt duo præcepta *utrumque propter se* licet ex motivo ejusdem virtutis, datur distinctio numerica peccatorum. Unde qui in die festi omittit sacrum, & simul opera servilia peragit, duo peccata numero distincta committit. Non ita accidit, quando præcepta non dantur utrumque propter se; tunc enim solum obligant indirecte, & propter aliud præceptum adimplendum.

159. 4. *Regula*, peccata quæ interius consumantur, multiplicantur numero per retractionem, aut interruptionem actus, ac ejus repetitionem; quia hujusmodi actus semel interrupti nec virtualiter perseverant in aliquo effectu: erg. si iterum repetantur post eorum cessationem, aut interruptionem, sunt peccata numero distincta. Unde in eadem die, in eadem hora possunt committi plura peccata delectationis morosæ, hæresis, odii, superbæ, & similibus, quæ in corde, voluntate, aut mente consumantur. Nec valet opponere impossibile esse pluribus, præcipue dissolutis, numerum peccatorum computare si illa sola retractatio multiplicet; responderetur enim id ipsum etiam in peccatis externis plerumque accidere, maxime vitio impuro assuetis, quin ob hoc desinant esse peccata numero diversa. Pro omnibus itaque dicitur, quod confessio fiat, expliceturque numerus peccatorum modo, quo moraliter fieri possit, plus minusve; aut toties circiter per mensem hebdomadam, vel diem.

160. 5. *Regula*, in peccatis, quæ verbis, vel factis consumantur, si ante consumationem inspiciantur, sumitur distinctio numerica a retractione formali, vel virtuali, & renovatione actus pravi. Si enim desiderium dicendi, aut faciendi aliquid quod malum retractas formaliter; hoc est, nolendo; vel detestando illud: aut virtualiter, hoc est, non illud continuando, sed te divertendo ad alia per-

nitus inconnexa cum interpositione morie notabilis; quoties denuo redeas ad idem desiderium, toties adest novum peccatum numero distinctum. Unde qui hodie decrevit occidere Petrum, data opportunitate, si hæc per diem, hebdomadam, mensem, aut annum non occurrat, debet in confessione exprimere quoties retractavit, & reassumpsit modo dicto illam intentionem, vel saltem tempus, quo perseveravit in sua prava voluntate; cum nequeat aliter melius exprimi huiusmodi peccata in confessione.

161. Pro generali autem regula interruptionis moralis nequit assignari unus dies, ut in consequenter astruit Concina in præsentia; ipse enim agens de intentione virtuali necessaria pro applicatione missæ ait, perseverare viginti diebus; ita ut si recipias hodie viginti stipendia, sufficit formare hodie intentionem pro applicatione respectiva viginti dierum sequentium. Cur quæso, si perseverat ibi eadem intentio virtualis viginti diebus, non potest hic eadem moraliter perseverare nisi uno die? Præterea si tantum unico die durat intentio virtualis, mandans alteri ut suo nomine post hebdomadam inerat matrimonium, aut alios contractus, nullos eos efficit sine renovatione, nec retractatione intentionis, quod est absurdum. Insuper si quolibet die discontinuatur moraliter peccatum, furans quotidie quidquam leve, numquam committet furtum grave: patet, quia juxta Concinam peccatum unius diei est moraliter interruptum, & inconnexum cum peccato diei sequentis; unde furtum leve hodiernum non unitur moraliter cum furto levi crastino, & consequenter numquam conflabunt materiam gravem, aut grave furtum; sed hæc sequela est manifeste falsa: ergo ruit positio Concinae, & regula ab ipso tradita *lib. 4. de peccat. cap. 6. n. 19.*

162. Igitur in his peccatis vix potest assignari regula clarior, nisi quod exprimat in confessione tempus durationis prævi animi, dicendo, tanto tempore habui propositum v. g. non restituendi, aut non solvendi debita. Vel habui animum faciendi, seu occidendi per hebdomadam, mensem, aut annum: & demum illud peregi, aut non. Sic eximuntur Theologi

a questionibus satis implexis, & Confessarii a molestis interrogationibus.

163. Inq. 2. Quando isti actus voluntatis per manere virtualiter dicantur? R. Quod licet fixa regula vix assignari valeat, cum una materia majorem extensionem quam alia admittat; tamen tunc actus voluntatis censetur permanere moraliter, quando physice discontinuatur solum per interruptiones communes: puta per inadvertentiam, comestionem, somnum, aut alia negotia, quia cum prima voluntas virtualiter perseveret in intentione, per actionem externam consumanda unitur, & continuatur cum secunda. Unde qui primo mane decrevit occidere Petrum vespere, & sine retractatione ita complevit, licet interruptiones communes interfuerint, unum tantum peccatum committit. Quod contra evenit, quando interruptiones sunt longiores, aut diuturnæ, ut per mensem, aut hebdomadam juxta materiam qualitatem, & operantis intentionem.

164. Regula 6. in omnibus peccatis sive internis, sive externis post consummationem inspicis sumitur distinctio numerica ex interruptione morali, aut interpositione temporis, & actus repetitione. Unde quatuor desideria prava diversis temporibus, sunt quatuor peccata in mente consummata: quatuor blasphemiarum diversis temporibus prolata similiter sunt quatuor peccata consummata in verbis: quatuor denique furta cum interruptione morali perpetrata, totidem sunt peccata opere consummata. Nota vero aliqua esse peccata, in quibus licet nulla adsit interruptio, datur tamen distinctio numerica, quia sunt actus adeo completi, ut nullam connexionem habeant cum aliis: huiusmodi sunt homicidium, copula, pollutio, & similia. Unde quatuor copulae, pollutiones, homicidia, esto continuata, sunt quatuor peccata. Alia autem criminalia non sunt adeo consummata, & completa, ut ad suam distinctionem numericam aliquam interruptionem non requirant, ut de contumeliis, & blasphemis ex eodem impetu prolatis dicitur communiter.

165. Inq. 3. An in his peccatis sufficiat quælibet mora temporis pro interruptione morali, & numerica distinctione? R. neg. quia in talibus peccatis illa

la requiritur discontinuatio, ut prudenter judicetur altera actio, seu distincta operatio. Unde qui in die jejunii credens finitum prandium, involvit mapulam, & novo ferculo adducto comedit, non frangit jejunium, quia idem judicatur prandium. Aliud est de eo, qui animo non redeundi surgit a mensa, & post aliquod spatium redit ad mensam; tunc enim reputatur distinctum moraliter. Si vero surgat animo redeundi, & peracto negotio breviter redeat, non violat jejunium, quia una refectio moraliter censetur.

166. Tactus copulae præcedentes nisi nimium protrahantur, aut fiant absque intentione illam habendi, unum constituunt peccatum cum illa tamquam ejus partes. Habiti immediate post illam probabilius asserunt plures esse distinctum peccatum. At liberenter fatemur, quod loquimur in hac materia sicut cæci de coloribus. Ignoramus enim an tactus immediati, & proximi sint complementum operationis; nam si supponatur copula undequaque consummata, nemo negare valet, tactus subsequentes distinctum constituere peccatum: eo modo, ac assecuto suo termino adæquato, finit prior motus; si vero ultra progréditur, incipit alius.

167. Inq. 4. An actus externus pravus sit exprimendus in confessione? R. affirm. Constat ex propos. 25. damnata ab Alexandro VII. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: commissi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Falsitas hujus propositionis liquet ex eo, quod actus externus non est aliqua circumstantia, sed potius substantia, consummatio, & complementum pec-

cati: ergo debet in confessione fateri tamquam peccati pars substantialis.

## MONITUM.

168. Pro coronide hujus tractatus adverte, pie Lector, quanta sit malitia, & turpitudine peccati. Tanta enim est peccati malitia, ut nihil sit in mundo, nec in inferno malum nisi peccatum. Tolle peccatum, & non erit infernus. Peccatum fecit ex pulcherrimis Angelis terribissimos Demones, ex hominibus jumenta, ex filiis Dei mancipia vilissima Diaboli. Peccatum clausit cælos, aperuit tartara, proseripit vitam, attulit mortem, & harmoniam totius universi dissolvit. Nec Dæmon, nec Deus ipse, potest homini inferre tantum malum, sicut infert illi peccatum. Ejus offensa in Deum est simpliciter infinita, nullo supplicio adæquate punitur; quia non valet puniri, quantum ex se punibilis est. Nec æterna tormenta omnium damnatorum sufficiunt ad punitionem unius offensæ gravis Dei. Intuere, peccator, quid agis, quando adeo facile peccas. Miserere tui ipsius, ne tantum malum voluntarie tibi inferas.

169. Seneca sine fidei lumine adeo horrebat turpitudinem peccati, ut diceret: *Licet scirem homines ignoraturos, & Deum ignosciturum, tamen peccare nollem, ob peccati turpitudinem.* Sic apud Corn. in ep. ad Hebr. c. 12. v. 4. Si homo Gentilis hoc dicebat, quid diceret, si credidisset, quod pro delenda peccati turpitudine Filius Dei pendit in Cruce, & fuso suo sanguine, acerbissimam pertulit mortem? Considera ergo Christiane quid te dicere, & agere deceat, & quanto horrore a peccato fugere debeas!

## TRACTATUS SEXTUS

## DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

**A** Nequam ulterius procedamus, oportuum ducimus quidquam prælibare circa Decalogum in generali;

cum dicta, dicendaque præcipue in hoc volumine ad ejus observantiam dirigantur.